

5743
Disputatio Juridica

De

1614

POSSESSIONIS
ACQUISITIONE.

Quam

DEO Opt. Max. favente

In Incllyta VVitteberg. Academia

Sub PRÆSIDIO

CHRISTIANI Kremberg,

J. U. Licentiati


Exercitij gratiã, publica discussioni
submittit

JOHANNES CAROLUS VVOGESSER
Argentiniensis Alsatus:

In Auditorio Jctorum ad diem 26. Augusti,
horis à VI. matutinis.

VVITTEBERGÆ,

E typographeo Iohannis Germanni Anno M. DC. XIV.



V I R O

ERUDITIONIS PRÆSTANTIA,

Virtutis laude, rerumq; Politicarum usu

Spectatissimo

Dn. HENRICO VVOGESSERO,
Illustrissimo ac Celsissimo

Principi & Domino

Dn. LUDOVICO

Landgravio Hassiæ, &c. à Secretis,

Adgnato suo omni Pietatis Observan-
tiaq; genere perpetuum colendo

Hoc Studij sui Legalis Exercitium

Animo devoto inscribit atq; dedicat

JOHANNES CAROLUS
Vvogesser A.



De
POSSESSIONIS ACQUISITIONE
Disputatio.

Thesis I.



Um πολύσημα distinguenda prius, quàm in disciplinis usurpanda sint; meritò de Possessionis Acquisitione dicturo hæc prima esse cura debet, ut in Varias Verbi Possessionis significationes inquirat. Interdum igitur Possessionis vocabulum à Juris nostri Auctoribus ponitur pro Usurpatione, per metonymiam Causæ pro Effectu: ut in l. 19. 23 §. 1. l. 30. ff. ex quib. caus. major. l. 44 ff. de donat. int. virum & ux. Borcholt. de acquir. vel amitt. Poss. c. 1. n. 1. Cujac. 24. observ. 9. Dn. Obrecht in meth. tract. de Possess. c. 1. th. 5.

II. Interdum accipitur pro Re Immobili, quæ possideri solet, per metonymiam Adjuncti pro Subjecto: ut in l. 11. ff. de alien. jud. mut. caus. fact. l. 5. §. 10 ff. de reb. eor. qui sub. tut. l. 3. ff. de extraord. cogn. l. 86. §. ult. ff. de acquir. vel om. hered. l. 2. C. de probat. l. 11. C. comm. utr. jud. l. 3. C. de revoc. donat. l. 6. C. de R. V. l. 6. C. de prædijs & alijs reb. minor. fac. l. 78 ff. de V. S. ubi Gæddæus n. 3. Hinc & illud fluxit, quod verbum Possessionis pro ipso verbo Proprietatis legatur in l. 4. C. de contrah. empt. Borcholt. de acquir. Poss. c. 6. n. 8.

III. Aliquando etiam usurpatur pro facto eorum, qui non possident verè, sed tantùm tenent: ut in l. 1. §. 5. l. 24. 29 ff. de acquir. vel am. poss. l. 7. §. 11. ff. comm. divid. l. 38. §. 10. ff. de Usur. l. 38. §. 7. ff. de V. O. l. 9. §. ult. ff. de Publ. in rem. act. Hoc autem fieri κατὰ χησιμῶς
A 2 inde

inde apparet, quia alibi hi ipsi qui in specie tenent, negantur possidere: ut in l. 3. §. 20. l. 49. §. 1. ff. de acquir. Poss. l. 9. ff. de R. V. l. 6. §. 2. ff. de precar. &c. De quo mox plura.

IV. Tandem propriè sumitur pro eà detentione, sive insistentiâ rei, in qua cum Detinendi factò, Animus quoque Sibi Habendi concurrat. Quæ significatio ad nostrum propositum pertinet: & maximè in tit. ff. & C. de acquir. retin. Vel am. Poss. attenditur.

V. Etymon Possessionis à Sedibus deductum esse J. C. Paulus asserit in l. 1. princ. ff. h. t. Cui consonat, quod Possidere quasi Possedere dictum putet Alciatus lib. 1. Parerg. c. 1. quem sequitur Donell. 5. comment c. 6. Borcholt. de acquir. Poss. c. 1. n. 6. Dn. Obrecht d. c. 1. th. 18 & seqq. P. Frider. de caus. & mater. Poss. c. 1. n. 6.

VI. Et optimè quidem à Sedibus appellata est Possessio. Hoc namq; ostenditur, ab eo demum Naturaliter (h. e. secundum primam sui naturam) teneri Possessionem, qui rei insistit: sive, quod idem est, sedem in re ponit: aut quemcunq; similem corporalem actum ad Possessionem adhibet l. 1. princ. ff. h. t. Prædicti dd. loc.

VII. Definitor Possessio Detentio rei Vacuæ, quæ in Commercio esse putatur, cum Animo Sibi Habendi.

VIII. Genus itaq; Possessionis dicitur Detentio: quod probatur tum text. in l. 44. §. 2. ff. h. t. l. 15. §. ult. ff. ex quib. caus. major. l. 21. in fin. ff. de hered. vel act. vend. l. 5. princ. ff. de impens. in res dotal. fact. l. 44. §. ult. ff. de usurpat. l. 79. ff. de solut. l. 1. C. de R. V. l. ult. C. si unus ex plur. hered. In quibus LL. is qui Possidet, Tenere dicitur, præcipua specie nat. ἐξουσιω per nomen generis denotatâ.

IX. Tum ex ipsâ probatur Detentionis naturâ, quæ in genere est rei κατοχή, quæ fit, quali quali tenendi affectu sive sui, sive alterius causâ Dn. Obrecht d. c. 1. th. 19.

X. Et duas habet species: hanc qua de agimus, Possessionem, & Detentionem in specie sic dictam. Unde fit, quod Tenere & Possidere aliquoties sibi opponantur: ut in §. 2. Inst. quib. mod. toll. obl. l. 18. §. 1. ff. de accept. l. 38. §. 7. & 8. ff. de V. O.

XI. A speciali ergo Detentione hæc ut discernatur Possessio, eam cum Animo Sibi habendi conjunctam esse diximus ex l. 18. princ. ff. h. t. Cum è contra Detentio in Affectione non sibi, sed Alteri habendi subsistat: Vid. Dn. Obrecht. d. c. 1. th. 4. & c. 2. th. 95. Cujac. 9. observ. 33. Vultejus lib. 1. Jurispr. Rom. c. 67.

12. Ejusd.

XII. Ejusmodi verò Sibi Habendi animus quamvis in l. 2. C. de
prescript. 30. vel 40. ann. illi maxime applicetur, qui pro suo sive opi-
nionem Domini possidet: potest tamen arg. l. 13. §. 1. ff. de Pub. in rem act.
l. 22. §. 1. ff. de noxal. act. & ei quoque attribui, qui possidet alia quadam
ratione sibi possessionem habendi: & qui, quando voluerit, exter-
na vi cessante, sine impedimento insistere rei naturaliter, eamque
tenere, & eidem custodiam apponere potest, juxta l. 1. princ. l. 3. §. 13. ff.
h. t. fac. l. 1. ff. de Vi & Vi arm.

XIII. Atque ex hac tenus dictis constare non nihil existimarem,
quid de quaestione illa inter Dd. controversa sit sentiendum: cum
Possessionem quidam Juris, quidam Facti speciem esse contem-
dunt. Præterquam enim, quod expressè dicatur esse facti in l. 1. §. 3.
& 4. ff. h. t. l. 1. §. 15. ff. si is, qui testam. lib. esse jus. erit. & plurimum facti ha-
bere in l. 19. ff. ex quib. caus. major. ex ipsa cum Nominali, tum Reali
Possessionis Definitione idem evincitur. Facto namque opus est, si
in re sedem ponere, aut detinere illam, eique insistere velim. Donell.
comment. c. 6. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 2. th. 49. & seqq. P. Frider.
de caus. & mater Poss. c. 8. n. 2.

XIV. Hinc est, quòd ab Hostibus reversus possessionem cum ali-
is juribus non recipiat l. 23. §. 1. ff. h. t. l. 19. ff. ex quib. caus. major. Quòd
Heres in possessionem defuncti non succedat d. l. 23. princ. ne Suus
quidem Gail. 2. observ. 15. 2. n. 10. Gæddæus ad l. 24. ff. de V. S. n. 19. Hæno-
nius in quest. juris illust. disp. 6. contr. 12. Quòd tenendi facultate amif-
sa, ea ipsa amittatur l. 3. §. 13. ff. h. t.

XV. Illud interim ex l. 44. princ. ff. h. t. l. 10. C. h. t. l. 5. C. de liber. caus. du-
bium non habet, esse quoddam Possessionis jus, sive (ut cum l. 49.
princ. ff. h. t. loquamur) esse quòd Possessio ex Jure mutuetur: cujus-
modi etiam est: quòd Animo solo retineri possit §. 5. Inst. de Interd. l.
3. §. 7. & 11. l. 25. §. ult. l. 44. §. ult. l. 46. ff. h. t. l. 1. §. 24. & seqq. ff. de Vi & Vi
arm. l. 4. C. h. t. Quòd non ipsis servis, sed dominis per eos acquiratur
§. 3. Inst. per quas pers. cuique acquir. l. 1. §. 5. l. 24. 49. princ. ff. h. t. Quòd poste-
riori Possessori Auctoris sui Possessio accedat, de quo in l. 13. §. 1. &
seqq. ff. h. t. l. 14. ff. de divers. & temp. prescript. & c.

XVI. Atque non Justa modò, sed etiam Injusta Possessio aliquid,
(licet minus) juris habet. Nam & Injustus Possessor Inter-
dictis defenditur contra alium, à quo non vitiosè possidet

l.1. §. ult. l.2 ff. uti possid. l.1. §.30 ff. de vi & vi arm. fac. l. ubi ff. h. t. Imò contra omnem omninò vi deicientem §.6 Inst. de Interd. l.4. §. 26. ff. de usurpat. c. in literis § ext. de restit. spoliat. Item, quandoq; fructus suos facit: ut quos Coniunx ex re illicitè donatà, l. à industria acquisivit l.45. ff. de usur. l.17. ff. de donat. int. vir & ux. Cujac. 18. observ. 24.

XVII. Cognita Possessionis Definitione, nunc, in quæ membra eadem dividi solet, dispiciamus. Et primùm aliam Justam aliam injustam esse Possessionem docet *l.3 §.5 ff. h. t. l.2 ff. uti possid. l.7. §.4 ff. comm. divid. l.19 princ. ff. de precar.* Illam vocamus, quæ ex justa aliqua causa, seu titulo (cujus species recensentur in *l.3. §.21 ff. h. t. l.1. §. ult. & ll. aliquot seqq. ff. de Publ. in rem act.*) dependet, & à jure civili maxime probatur. Hanc, quæ ex injusta causa dependet, & à jure, quatenus talis, non probatur. Borcholt. de acquir. Poss. c. 2. divis. 1. n. 3. Dn. Obrecht d. tract. de Possess. c. 4. th. 156. & seqq.

XVIII. Hujus injustæ Possessionis tria potissimùm in Jure extant genera. Nam Injustè possidet, qui Vi nactus est possessionem: h. e. qui alterum vi de Possessione suâ deiecit *l.1. §.28. ff. de vi & vi arm. aut revertentem in fundum suum ingredi prohibuit l.6. in fin. ff. h. t. d. l.1. §.24.* aut in medio itinere, ne ingrederetur, detinuit *d. l.1. §.24.*

XIX. Sic Injustè possidet, qui clam possidere cœpit: qualis ille est, cui furtive Possessionem ingresso, prior Possessor, eum in possessione suâ offendens statim possessionem cedit: & rectâ ad juris remedia pro illâ recuperandâ se confert. *per l.6. princ. & §.1. ff. h. t.*

XX. Tertio Injustè possidet, qui Precario rem acceptam sine dantis voluntate retinere vult. *tot. tit. ff. de precar.* Adeoq; passim tria ista Possessionum vitia, Vi Clam Precario, conjunctim leguntur *l.13. §.1 ff. h. t. l.10 princ. ff. si serv. vind. l.1 §. ult. ff. de aqua & aquæ pluvia l.22. ff. de acquir. rer. dom. l.31. §.4. ff. de usurpat. l.14. ff. de vi & vi arm. l.1. princ. §.5. & ult. ff. uti possid. l.1. princ. ff. de superfic. l.1 princ. §.2. & ult. l.3 §.2. & 11. l. ult. ff. de itin. actuq; priv. l.1 princ. §.29 ff. de aqua quotid. l.1. princ. ff. de rivis l.1. §.7. ff. de cloac. l.1. C. de servit. & aqua.*

XXI. Atq; hæc tria Possessionum genera Injusta esse manifestissimum est ex eo, quod & contra voluntatem prioris Possessori, res occupatur *l.5.33. ff. h. t.* & quod contra ejusmodi occupatorem Prætor dat Interdictum de Possessione Violentâ. Clandestinâ, Precariâ *l.7. §.5. ff. comm. divid. tot. tit. ff. de vi & vi arm. & tit. de precar.*

XXII. Cæterum esse aliquando etiam Injustam Possessionem, licet quis ex Voluntate prioris Possessoris rem occupaverit, probari potest exemplo Mariti vel Uxoris rem à Coniuge illicitè donatam obtinentis l. 1. §. 4 l. 16. ff. h. t. l. 13. §. 1. ff. de hered. petit. junct. l. 26. princ. ff. de donat. int. Vir. & ux. Vid. Anton. Faber lib. 4. conject. 17.

XXIII. Secundò duplex Possessio solet in eam, quæ est bonæ fidei, & eam quæ est malæ fidei l. 3. §. pen ff. h. t. l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Illam dicimus, quam quis se nactum existimat ab eo, qui ejus transferendæ jus habet. Hanc, quam quis, existimans ad se jure minimè pertinere, nihilominus occupatam tenet arg. l. 109. ff. de V. S. ubi Gæddæus n. 2. l. 3. princ. ff. ad L. Fab. de plag. l. 38. ff. de usurpat. l. 20. §. 11. ff. de hered. petit. l. 2. C. eod. Vultejus lib. 1. Jurispr. Rom. c. 67.

XXIV. Neq; verò hanc Possessionis divisionem cum præcedente profuse eandem statuimus: quin potius Errantis in Jure possessionem Injustam, at interim Bonæ fidei esse arbitramur, seu, quod idem est, dolo carere l. 25. §. 6 ff. de hered. petit. l. 3. §. 22 ff. ad SC. Syllan. fac. l. 32 §. 1. ff. de usurpat. l. 48. princ. vers. nec interest ff. de acquir. rer. dom. junct. l. 2. §. 15 ff. pro empt. Gæddæus ad d. l. 109. n. 4. & 5. Hænonius in quest. juris illust. disp. 6. contro. 8.

XXV. Tertio in Jure hæc Possessionum divisio occurrit, quod alia dicatur Naturalis, alia Civilis l. 3. §. ult. ff. ad exhibend. l. 24. ff. h. t. l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 1 §. 9. ff. de Vi & Vi arm. l. 38. §. 7. ff. de V. O. Mixta autem, quæ simul Naturalis & Civilis sit, nulla legitur: nec talis etiam dari potest. Cujac. 9. observ. 33. Borcholt. de acquir. Poss. c. 2. divis. 3. n. 14. Da. Obrecht d. tract. de Possess. c. 3. th. 146. & 151.

XXVI. Ut verò propè nulli non Interpretum Possessionem in hæc membra digeri agnoscent; ita in definiendis his ipsis mirum in modum variant. Quid? quod & in Juris textibus, terminorum istorum non eadem ubiq; sed diversa sit significatio. Donell. 5. comment. c. 7. Wesenbec. in parat. ff. h. t. n. 3. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 4. per tot.

XXVII. Interdum itaq; Naturalis Possessio appellatur ea, quæ Corpore consistit, & ipso facto occupatur, Civilis, quæ Animo tantum tenetur, Quæ significatio videtur erui ex l. 1. princ. & §. 1. l. 3. §. 3. & 13. l. 23. princ. ff. h. t. Et locum habet tum maximè quando quis rem pro suo ex justa causa possidet. In eo siquidem Naturalis Possessio
scm.

semper denotat Corporalem rei apprehensionem : cui illa tantum Possessio, quæ Animo tenetur, opponi potest. *Dn. Obrecht. d. c. 4. sb. 171. & seqq.*

XXVIII. Veruēnimverò hac Vocabulorum istorum appellatione inspectâ, dicendum omninò est cum Azone, ejuſq; sequacibus, Naturalem & Civilem Possessionē nō esse separatas Possessionis species : sed ejusdem Possessionis diversos saltem respectus. Nam ad omnem omninò Possessionem requiritur, ut ab initio non Animo solū, verum etiam Corporis ministerio acquiratur (*Vid. infr. th. 43, adeoq; omnis in Individuo Possessio ab initio erit Naturalis.*

XXIX. Ita omnis etiam omninò possessio, postquam est acquisita, Animo solo retineri potest (*dict. supr. th. 15*) ac proinde omnis Possessio poterit esse Civilis. Non enim aliam esse Possessionem, quæ Animo solo retinetur, aliam, quæ prius Corpore & Animo est acquisita & aliquo usq; retenta, inde apparet, quod propter hoc factum Usucapio non interrumpitur *Vid. Donell. 5. comment. c. 7. Mynſing. ad §. 5. Inst. de Interd. n. 4. & 5. Borcholt. d. c. 2. divis. 3. n. 3.*

XXX. Deinde Civilem Possessionem in Jure pro ea haberi, quā quis rem opinione domini ex justâ causâ apprehendit : Naturalem, quā quis rem apprehendit non opinione domini, sed aliâ quadam sibi habendi ratione; tradunt ex Græcorum sententiâ Cujac. *9. observ. 33. & 27. observ. 7. Borcholt. d. c. 2. divis. 3. n. 12. Wesenbec. in parat. ff. h. t. n. 3. Vultejus ad princ. Inst. de Interd. n. 9. & lib. 1. Jurispr. Rom. c. 67. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 5. th. 187. & seqq. & th. 223. & seqq.*

XXXI. Veritas hujus sententiæ patescit ex enumeratione eorum, qui in Jure Naturaliter possidere perhibentur. Sic primū eum, qui contra voluntatem prioris Possessoris malâ fide nactus est Possessionem, possidere Naturaliter innuitur *in l. 1. §. 9. jux. et. §. 30. & l. 12. 13. ff. de Vi & Vi arm. Cujac. d. observ. 33. Donell. d. c. 7. Borcholt. d. c. 2. divis. 3. n. 13. vers. similiter qui vi Wesenbec. d. n. 3. Dn. Obrecht. d. c. 5. th. 222.*

XXXII. Quamvis enim talis Possessor destinatione pro suo possideat, & velit rem possessam suam esse, proindeq; sibi fingat quandoq; titulum, quasi pro suo possideat *l. 67. princ. ff. de furt. l. 1. §. 9. ff. si quis*

quis omis. caus. restam. quia tamen scit, alienum se lucri faciendi a-
himo possidere, revera opinione domini, sive pro suo non possidet
arg. l. 32. princ. ff. de usurpat.

XXXIII. Eodem modo, quia Uxor rei à Marito donaræ se do-
minatam non esse aut scit, aut certe scire debet, jure civili possidere
negatur in l. 26. princ. ff. de donat. int. Vir. & ux. Quod igitur possidere
dicitur in l. 1 §. 4 l. 16. ff. h. t. l. 13. §. 1. ff. de hered. petit. l. 1. §. ult. ff. pro donat. id
de Possessione Naturali erit accipiendum Cujac. d. obs. 33. Borcholt.
d. c. 2. n. 13. vers. mulier quoq. Dn. Obrecht. d. c. 5. th. 194.

XXXIV. Ita Creditor Pignus sibi traditum verè possidet: quod
plurimi juris textus arguunt l. 1. §. 15. l. 36. 37. 40. princ. ff. h. t. l. 11. §. pen. l. 22. §.
2. l. 35. §. 1. l. 37. 40 §. ult. ff. de pign. act. l. 13. C. de distract. pign. l. 15. §. 2. ff. qui sa-
tis. cog. l. 17. §. 1. ff. ad SC Vellejan. l. 66. princ. ff. de evict. l. 37. princ. ff. de acquir.
rer. dom. l. 13. princ. l. 16. 33. §. 4. ff. de Usurpat. l. 13. ff. quæ in fraud. credit. l. 6. §.
ult. ff. de precar. l. 2. C. si unus ex plur. hered. & iuste etiam possidet l. 13. §. 1.
ff. de Publ. in rem act. l. 22. §. 1. ff. de noxal. act. Interim tamen quia non
possidet opinione domini d. l. 13. §. 1. d. l. 22. §. 1. ff. de noxal. act. & ipsam
Naturaliter possidere dicendum est l. 3. §. ult. ff. ad exhib. ubi Gothofr.
Cujac. d. obs. 33 & 18. obs. 24. Borcholt. d. c. 2. divis. 1. n. 2. & divis. 3. n. 13.
vers. exemplo sit Creditor. Vultejus ad princ. Inst. de Interd. n. 12.

XXXV. Simili ratione, qui Precariò rem rogavit, ut sibi possi-
dere liceat, verè possidet §. 4. Inst. de Interd. l. 13. §. 7 ff. h. t. l. 2. §. ult. l. 4. §. 1.
& ult. l. 5. §. 6. §. pen. & ult. l. 9. 12. pr. & §. 1. l. 15 §. pen. & ult. l. 16. 17. 19 pr. l. ult. pr.
& §. 1. ff. de precar. l. 13. §. 21. ff. de act. empt. l. 32. §. 5. ff. de donat. int. Vir & ux.
l. 3. C. de pact. int. empt. Et iuste etiam possidet, licet non opinione do-
mini l. 13. §. 1. ff. de Publ. in rem act. l. 22. §. 1. ff. de noxal. act. l. 7. §. 4. ff. comm.
divid. Atq; idem tamen, non nisi Naturaliter possidet l. ult. §. ult. ff. de
precar. Prædicti dd. loc.

XXXVI. Eiusdem conditionis est Sequestris Possessio, quæ à
Partibus ita apud eum aperte fuit deposita, ut ab ipsis interim illa
dimittatur l. 39 ff. h. t. l. 17. §. 1. ff. de pos. Cujac. 9. observ. 33. Dn. Obrecht.
d. c. 5. th. 200. & 3. seqq.

XXXVII. Atq; hac usq; ejusmodi Possessorum Naturalium me-
minimus, qui non minus, quam Civiles Possessores verè possident:
quiq; cum intelliguntur, cum Possessionis in propria significatio-
ne acceptæ & supr. th. 7. definitæ, species quædam Naturalis Pos-
sessio

B

sessio

Possessio constituitur. Quoniam verò Detentores in specie sic dicti magnam cum hisce Possessoribus affinitatem habent; ut, qui ipsi quoq; sine opinione domini rei incumbunt, quam alieno nomine possident, factum est; quod & hi aliquando in jure Naturales Possessores appellantur. Donell. *§. comment. c. 7. Dn. Obrecht. d. tract. de Posses. c. 4. th. 170. & 176.*

XXXIX. Quorum duo rursus sunt genera. Quibusdam enim quo minus verè possideant, facultas deest. Quorum referri debet juxta antiqui juris observationem filiusfamilias qui in *l. 2. §. ult. ff. pro hered. rerum à Patre sibi donatarum* Naturalem Possessionem habere dicitur. Atqui certum est, eum ex hisce rebus verè nihil possidere potuisse *§. 3. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. 10. §. 2. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. 5. l. 4. 49. §. 1. ff. h. t. l. 44. §. 4. ff. de usurpat.*

XXXIX. Deinde huc pertinet Servus, qui Naturaliter possidere legitur in *l. 38. §. 7. ff. de V. O.* Quod ipsum mox in *§. 8. seq. per tenere & in l. 24. ff. h. t. per naturaliter tenere* explicatur. Verè n. nō possidet *l. 49. §. 1. ff. h. t. l. 11. ff. de usurp.* quia nihil potest possidere, qui ab alio ipse possidetur *l. 23. §. 1. ff. h. t. l. 54. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. l. 118. ff. de R. I. &* quia Possessio quædam ex Jure depromit *d. l. 49. princ. & §. 1. quorum Servus capax non est l. 32. ff. de R. I.*

XL. Huc fortè etiam respicit *l. 7. §. 1. ff. ad exhibend.* in qua is, qui rotam alienam vehiculo suo aptavit, eam non civiliter possidere dicitur. Nam nec talis ullo modo possidet, nisi Naturalem quandam abusivam Possessionem illi assignare voluerimus. Constat enim, ex *l. 30. princ. ff. h. t. l. 23. princ. ff. de usurpat.* partes corporis conjuncti, quod ex pluribus inter se coherentibus constituitur, ut est ædificium, navis, &c. *l. 30. princ. ff. d. t.* non sigillatim & per se possideri.

XLI. Alij ex ijs, qui Naturaliter & improprie possident, Voluntate tantum destituuntur, quò minus pro veris Possessoribus haberi queant. Quales sunt reliqui omnes, quibus propterea, quod alieno nomine in Possessione sunt, Naturalis Possessio attribuitur, ut Usufructuarius, Commodatarius, Depositarius, Colonus, Inquilinus, &c. *l. 12. princ. ff. h. t. l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 7. §. 11. ff. comm. divid. l. 38. §. 10. ff. de usur. l. 4. junct. l. 3. §. ult. ff. ad exhibend.* Quorum veram non esse Possessionem probabitur *infr. th. 80. & seqq.*

XLII. Relinquitur igitur, eos solos esse Civiles Possessores, qui opinione domini possident. Nec interest, revera ne sint domini, an

ex causa ad dominij translationem habili dominos se factos existiment. Cujac. 9. observ. 33. & 27. obs. 7. Vultejus lib. 1. Jurispr. Rom. c. 67. & ad princ. Inst. de Interd. n. 17.

XLIII. Hactenus Possessionis quasi principia delibavimus, Etymologiam Definitionem, & Divisiones: nunc propius ad rem ipsam accedentes, quomodo Possessio acquiratur, videbimus. Ubi illa in primis regula occurrit, omnem Possessionem & corpore & Animo esse acquirendam l. 3. §. 1. l. 8. 30. §. 3. ff. h. t. l. 153. ff. de R. I. §. 5. Inst. de Interd.

XLIV. Per Corpus significatur, necessariò actum aliquem corporeum, per quem res apprehendatur, intervenire. Donell. 5. comment. c. 9. Borcholt. de acquir. vel am. Poss. c. 3. n. 2. Dn. Obrecht. d. tract. d. Possess. c. 6. th. 230. Per Animum intelligitur voluntas possidendum & probabiliter existimatur, posse possideri id, quod possidere quis expetit. Borcholt. d. loc.

XLV. Potest autem Possessio acquiri vel ejus, qui pro Possessore vero habebitur, & Animo & Corpore l. 19 §. 1. ff. h. t. Vel animo ejus & corpore alieno l. 3. §. 12. ff. h. t. Vel corpore ejus & animo alieno arg. l. 1. §. 3. l. 32. §. ult. ff. h. t. Vel & animo & corpore alieno arg. l. 1. §. 5. vers. igitur ff. h. t. l. 3. C. h. t. not. Hilliger. in Donell. enucl. lib. 5. c. 8. lit. D. & c. n. lit. A. Priores duo modi regulares sunt atq; frequentes. per l. 53. ff. de acquir. rer. dom. Posteriores irregulares & rari.

XLVI. Et primum modum quod attinet, adeò sine aliquo Corporis actu Possessio non acquiritur, ut Animum possidendi habuisse acquirentem nihil penitus proficiat, usq; dum corpore rem apprehenderit: quod exemplo thesauri è fundo nondum loco moti probatur in l. 3. §. 3. in fin. ff. h. t. fac. d. l. 3. §. 18.

XLVII. Iste Corporis actus sive Apprehensio distingui solet in Naturalem & Ascitiriam. Ex quibus illa appellatur, cum vel rem mobilem loco movemus d. l. 3. §. 3. in fin. vel rem soli ingredimur d. l. 3. §. 1. Donell. 5. comment. c. 9. Dn. Obrecht. d. c. 6. th. 233. Phil. Matthæus ad l. 11. ff. de R. L. n. 15.

XLVIII. Est autem Naturalis in ijs rebus necessaria, in quibus Lex nullam Traditionem fingere potest per d. l. 3. §. 3. in fin. l. 23. princ. ff. h. t. Vel propter absentiam alterius consensus, ut in rebus Vacantibus: sive illæ nullius antea fuerunt, ut animalia fera, lapil-

lapilli in litore maris inventi, insula in mari nata l.1. §.1. ff. h. t. sive alicujus esse desierint, ut res pro derelicto habita § pen. Inst. de R. D. l.2. ff. pro derelict. res hereditaria l.1. princ. ff. de D. R. thesauri l.31. §.1. ff. de acquir. rer. dom. Vel propter presentiam dissensus, ut in rebus ab hostibus fugientibus captis l.1. §.1. ff. h. t. Donell. & Obrecht. dd. loc. P. Frider. de caus. & mater. Poss. c.11. n.22.

XLIX. Ubi verò res Traditione solet transferri, ibi Ascititia etiam apprehensio locum sibi vindicat: quæ talis est, ut affectu, imaginatione & juris interpretatione magis, quam revera actuq; ipso res capiatur Dn. Obrecht, d. c. 6. th. 236 Phil. Matthæus ad l.11. ff. de R. l. n. 15. & 16. Quod iterum dupliciter contingit: Vel ratione rei, quam apprehendimus: Vel ratione medi, quo apprehendimus.

L. Ratione Rei Ascititia Apprehensio appellatur, cum parte corporis, quod ex prioris Possessoris consensu possidere volumus, apprehensâ, totum corpus, adeoq; & illas partes apprehendere intelligimur, quas ipso quidem actu non apprehendimus: eâ tamen mente sumus, ut æquè, quicquid harum esse, possidere velimus l.3. §.1. ff. h. t.

LI. Diximus ex Prioris Possessoris consensu: quia, si contra hujus Voluntatem, partem rei possessæ aliquis occupavit, eam duntaxat partem Posterior Possessor obtinere censetur, quam intravit: alterâ apud priorem Possessorem remanente l.18. §.ult. ff. h. t.

LII. Unde etiam, quia in Possessione illatum rerum acquirenda, quæ nullius sunt, ejusmodi consensus dari nequit, idem in illis minimè observatur. e. g. Littoris partem ædificando quis occupat: majorem partem hac, quam ita occupavit, non acquirit l.6. princ. ff. de R. D. l.14. §.1. ff. de acquir. rer. dom. Rursus: Partem Insulæ in mari natae aliquis ædificijs subjecit, aut custodia sepsit: reliquum Insulæ, etsi maximè velit, per hoc suum non efficit. Donell. 4. comment. c. 10.

LIII. Præterea neq; in cujuslibet etiam corporis parte hæc fieri apprehensio potest. Nam Corporum genera tria sunt. Unum, quod uno spiritu, sive continua quantitate continetur, ut, homo, fundus, & omne aliud continuo opere ductum, ut columna ex ære tota facta. Alterum, quod ex pluribus rebus diversis, operâ hominum

num

num inter se coherentibus est compositum: ut aedificium navis. Tertium, quod ex pluribus rebus distantibus uni tamen nomini subjectis constat: ut, grex, chorus l. 30. princ. ff. de Usurpat. Cujac. 15. observ. 33.

LIV. Et de primo quidem genere, ut & secundo, verissimum est, per partis apprehensionem totius corporis Possessionem acquiri; adeo, ut fundi partem, aut domus Vestibulum ingressus, totum fundum, totam domum possidere intelligatur l. 3. §. 1. ff. h. t. Dn. Obrecht. d. c. 6. th. 242. P. Frider. de caus. & mater. Poss. t. II. n. 26. vers. quemadmodum & adium.

LV. Ceterum in tertij generis corpore, quod nec natura, nec artificio, sed tantum interpretatione aliqua unum est, hoc jus non obtinet. Quia singularum partium singularis quoque est possessio l. 30. §. ult. ff. de usurpat. Non igitur ad universi gregis apprehensionem, sufficit, aliquot ejus capita apprehendisse Dn. Obrecht. d. c. 6. th. 245. & seqq.

LVI. Sicut etiam non sufficit, si plures sunt fundi, terminis ita distincti, ut alter alterius pars non intelligatur l. 6. §. 1. ff. comm. prad. Velle unius ingressu omnium possessionem acquirere: Verum singuli separatim sunt apprehendendi per d. l. 3. §. 1. ff. h. t. Borcholt. de acquir. vel. am. Poss. t. 3. n. 13. Dn. Obrecht. d. c. 6. th. 249. Vultejus lib. 1. de feudi. c. 10. n. 12.

LVII. Ratione Modi, quo apprehendimus, Ascititia apprehensio multiplex est. Ex quibus modis iste Naturali propinquior, in quo qualiscunq; adhuc actus corporeus deprehenditur: ut, cum quis rei praesentis & demonstratae vacuum Possessionem se tradere alicui dicat: isq; eam oculis & affectu accipiat l. 1. §. pen. l. 18. §. 2. ff. h. t. l. 79. ff. de solut.

LIX. Licet enim hic proprius actus corporeus non interveniat; revera tamen Possessio corpore quaeritur: quia & oculi pars corporis sunt: & aspectus est sensus corporeus: quodq; acquiritur per eum, longa veluti manu (ut qui ad res, quae longius absunt pertingit) captum dicitur *juncta d. l. 79.* Borcholt. de acquir. vel. am. Poss. t. 3. n. 22. Donell. 5. comment. c. 9.

LIX. Ut vero hic apprehendendi modus procedat, requiritur primum, rem esse in Vicinia arg. d. l. 1. §. pen. d. l. 18. §. 2. Neq; enim con-

B 3 senti

159
177
20
50
2
1
1
1



sentimus *Gloss. in l. 1. princ. ad verb. naturaliter ff. h. t. asserentis*, etiam cum, qui per decem miliaria à re abest, per aspectum acquirere posse Possessionem. Siquidem multa evenire interim possunt, quominus ad veram illius apprehensionem perveniatur *Dn. Obrecht. d. c. 6. th. 259.*

LX. Porro requiritur, rei possessionem à nullo corporaliter detineri: sed Vacuam esse *l. 79 ff. de solut.* Et ex eo cum *Dn. Obrecht. d. c. 6. th. 258.* ridiculam certe illorum opinionem pronunciamus, qui possessionem fundi, quem ob bellum occupare non possumus, ita acquiri arbitrantur, si è monte forsan aliquo aspiceretur.

LXI. Quemadmodum ergo solo Aspectu, Possessio acquiritur: ita quoq; acquiritur multò magis tùm, cùm res ab eo, in quem transferri debet, consentiente domino signatur: ut de trabibus habetur *in l. 14 §. 1 ff. de peric. & comm. rei Vend.* Modò eum omninò in finem, ut sit facta Traditionis argumentum, signatio accedat, non alià de causà fortè ne unum pro altero supponatur: ut in signatione doliorum fieri affirmat *Vlp. in l. 1. §. 2 ff. d. t.*

LXII. Huic Apprehensionis modo proximus ille esse videtur, cum actus corporeus, qui tempore jam præcessit, ad ipsam Possessionis accipiendæ vel immutandæ tempus retrahitur, atq; tùm iterum intervenisse fingitur. Quod accidit, quando e. g. res apud aliquem deposita, aut alicui locata, eidem postea venditur. De quibus & similibus exemplis *Vid. §. 44. Inst. de R. D. l. 3. §. 20 ff. h. t. l. 9. §. 5. l. 21. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. 9. §. ult. ff. de reb. cred. l. 9. §. 1. ff. de Publ. in rem act. l. 62. princ. ff. de evict. l. 46. 77. ff. de R. V. l. 10. ff. de donat. l. 16. §. ult. ff. de pignor.*

LXIII: Quoniam enim hisce in casibus Traditio, quæ datio Possessionis est *Cujac. 11. observ. 19. Phil. Matthæus ad l. 11. ff. de R. I. n. 11.* tùm, cùm res ex alià causà apud quempiam esse cæpit, intervenisse fingitur *l. 9 §. 1. ff. de Publ. d. l. 77. d. l. 62. princ.* necesse est eodem quoq; tempore apprehensionem fingere: quia traditum non rectè dicitur, nisi quod est acceptum sive apprehensum. *Voltejus lib. 1. iurisp. Rom. c. 70.* Possessio autem non intelligitur accepta, nisi sit, qui eam acquisivisse etiam corpore dicatur *l. 3. §. 1 l. 8 ff. h. t. & c.*

LXIV. Et hoc est, quod *in l. 3. §. pen. ff. de donat. int. Vir. & ux. fieri* quandoq; dicitur, ut celeritate conjungendarum inter se actionum

num aliqua occultetur, e. g. si res mihi prius commodata donetur, credendum est, eam rem, & me ex causa commodati domino restituisse, & ab eodem ex donationis causa, brevi velut manu, recepisse, sicq; dominum esse factum, *juxta l. 43. §. 1. ff. de jure dot.*

LXV. Remotiores à Naturali Apprehensione ij sunt Ascititiae Apprehensionis modi: in quibus nulla unquam vera, aut corporalis apprehensio intervēnit: sed propterea tantum intervenisse fingitur: quoniam ita res sub potestatem seu custodiam venerit; atq; si verè fuisset apprehensa: quippe, cum ne Naturalis quidem apprehensio suā naturā plus præstet, quam ut rem nostrā custodiam subiciat. *arg. l. 3. §. 13. ff. h. t. Donell. 5. comm. c. 9. Dn. Obrecht d. c. 6. th. 262.*

LXVI. Hujus generis est primò: si emptor venditorem jusserit rem emptam in suam domum inferre, Nam illius eò perlata emptor statim Possessor efficitur; licet nec ipse hanc attigerit: nec dum ejus nomine alius *l. 18. §. 2. ff. h. t. fac. l. 9. §. ult. ver. quid enim interest. ff. de jure dot.*

LXVII. Unde secundò non inconvēnienter statuitur, eum, qui ædes & omnia, quæ in ædibus sunt, emit, illorum, quæ in hisce contineri noverit, possessorem fieri, quamprimum in vacuum ædium possessionem est inductus, licet ea nondum inspexerit: quia sc. tunc sub custodia illius posita reperiuntur *Dn. Obrecht. d. c. 6. th. 262. conc. Erider. de caus. & mater. Poss. c. 11. n. 37.*

LXVIII. Sic tertio possessio acquisita censetur, si quis. V. C. aervo lignorum empto custodem apposuerit, qui, dum ille ex eo loco tollatur, interim præstet, ne auferatur ab alio. Nam & hoc modo res sub custodia emptoris esse incipit *l. 51. ff. h. t.*

LXIX. Quarto huc pertinet, cum quis ad res clausas apud eum locum, in quo clausæ tenentur, claves acceperit *l. 1. §. pen. in fin. ff. h. t. l. 74. ff. de contrah. empt. fac. §. 45. Inst. de R. D. l. 9. §. 6. ff. de acquir. rer. dom. & acceperit quidem ex præcedente titulo habili ad Possessionis translationem: alias enim clavium traditio tantum custodiæ commissæ significationem habet *ut in l. 77. §. 21. ff. de leg. 2.**

LXX. Remotissimus à Naturali ille videtur Apprehensionis Ascititiae esse modus, cum rei unius apprehensio Vice alterius fingitur: ut, in *l. 1. C. de donat. instrumento auctoritatis sive tituli à Possessore accepto, ipsa res, cujus auctoritas instrumento*
con-

77

12

59
17
20
50
9
11
12



continetur, apprehensa intelligitur. sive id fiat in rei, quæ ita trans-
ferri debeat, præsentia, sive non. Nam quia talis distinctio *in d. l. 1.*
non proponitur; neq; nostrum erit, eandem agnoscere *arg. l. 8. ff. de*
Publ. in rem act.

LXXI. Hic simile est, quod *in c. ex literis 2. ext. de consuetud.* legi-
tur, fundos donatos donatorem videri Ecclesiæ tradidisse, si dela-
tâ unâ glebâ in Ecclesiam, eam vel altari imposuerit sub testimo-
nio audientium & videntium: Vel in manum Episcopo tradide-
rit. Et hæc de corporis ministerio, quatenus ad Possessionis acqui-
sitionem ex jure civili requiritur, sint dicta.

LXXII. Cæterum hic quæri solet: an Consuetudine vel Statu-
to induci possit, ut solo Animo Possessio acquisita censeatur, nul-
lo prorsus corporis actu, vero, aut ascitio interveniente? Quod
cum communi Dd. scholâ nos affirmamus. *Vid. Gail. 2. observ. 129. n.*
ult. & obs. 152. n. ult. & de Arrest. c. 12. n. ult. P. Frider. d. c. 11. n. 39.

LXXIII. Nam, quamvis concedatur, nullo Statuto effici posse,
ut Possessio, quæ facti est, verè sit tùm, cùm nullum ejusmodi ad-
hoc factum accessit *arg. l. 1. §. 4. ff. h. t. l. 12. §. 2. ff. de capt. & poss. revers. l. 31.*
ff. de R. I. ea interim LL. atq; Statutorum vis manet, ut, quod factum
non est, ex illorum fictione pro facto habeatur, & eosdem effectus
producat, ac si verè factum esset. Possessio igitur, quam solo ani-
mo quis complectitur, utcunq; revera nondum est acquisita: ex
juris tamen fictione perinde sustinebitur, ac si reverâ facto corpo-
ris acquisita esset: eodem modo, quo nondum natus pro nato ha-
betur l. 7. ff. de stat. hom. l. 23. ff. de V. S. & contra LL. facta, pro non fa-
ctis habentur l. 5. C. de LL. c. quæ contra 64 de R. I. in 6.

LXXIV. Alterum, quòd in Possessionis Acquisitione requiritur,
est Animus. Et quia ad illum primò requiritur, ut quis tùm cùm
acquirat, iudicio aut intellectu sit præditus, sequitur, nec Furio-
sum, nec Dormientem, nec Infantem, quia voluntatem possiden-
di habere non valent, possessionem acquirere: ut maximè corpore
rem contingant *l. 1. §. 3. l. 18. §. 1. ff. h. t.*

LXXV. Hinc & illud est, quod Hereditas jacens nihil possidere
dicatur *in l. 1. §. 15. ff. si is qui testam. lib. esse iusserit fac. l. 45. §. 1. ff. de usurpat.*
Nam sive eam consideremus per se, res est inanimata & intellectu
carens: sive consideremus, ut personam defuncti repræsentat *juxt.*
princ.

princ Inst. de stipul. serv. l. 34 ff. de acquir. rer. dom. &c & ipse repræsentatus omni pariter intellectu delituitur Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 7. th. 286.

LXXVI. Ex eadem ratione neq; Municipales per se stricto jure possident: quia ij etiam voluntatem possidendi habere, & uni, atq; tales, consentire, nequeunt. l. 1 § ult. ff. h. t. l. un §. 1. ff. de libert. univers. Et licet Municipales singuli hanc voluntatem habere possint: Universitas tamen Municipum cum singulis nihil habet commune per l. 10. § 4 ff. de in jus voc. l. 6. §. 1. ff. de D. R. Ut ut autem hoc sit, utilitate suadente benignius receptum est, ut & possidere & usucapere Municipales possint l. 2. ff. h. t. l. 7. §. 3. ff. ad exhib. non solum per servos suos, sed etiam per liberas personas d. l. 2.

LXXVII. Atq; hæc tenus quidem dictis Natura obstat, quo minus affectionem possidendi habere possint: sunt alij quidam, quibus, ut idem præstare nequeant, Juris dispositio refragatur. Sic Servis & Filijs familias, quia in aliena potestate sunt, possidere Jus non permittit: ut cunq; eo sint animo, quod sibi possidere velint vid. supr. th. 38. & 39. Eiusdem quoq; Conditionis est Captus ab hostibus arg. l. 49. §. 1. ff. h. t. l. 12. §. 2. ff. de capt. & postl. revers.

LXXVIII. Non autem sufficit, Possidendi voluntatem habere quempiam posse: Verum ulterius requiritur, Voluntatem illam circa hanc ipsam rem, cujus possessio acquirenda est, occupatam esse. Unde primò earum rerum, quas aliquis ignorat, possessio acquiri nequit. Exemplo est thesaurus, in fundo ignorante Possessore absconditus l. 3. §. 3. ff. h. t. l. 15. ff. ad exhibend.

LXXIX. Deinde, quia Errantis etiam ad id, in quo errat, nulla Voluntas est l. 20. ff. de aqua & aqua pluviae l. 15 ff. de jurisd. l. 116. §. ult. ff. de R. I. nec ipse rerum in quibus erravit, Possessionem acquirere poterit. Exemplum suppeditat l. 34. princ. ff. h. t. ubi missus in possessionem fundi Corneliani, si putavit eum esse fundum Sempronianum, minime, quamvis corpore in fundo Corneliano sit, possessionem illius acquirere dicitur fac. l. 9. princ. ff. de contrah. empt. l. 2. §. 6. ff. pro empt.

LXXX. Tandem ad Animum requiritur, ita eum affectum esse, ut sibi quisq; non alij, sive alieno nomine rem habere seu possidere velit. Vid. supr. th. 11. & 12. Neq; enim, qui alieno nomine possidet,

17

18

15
17
20
50
1
1
1
1
1

det, etiam verò possidet: sed magis ille possidet, cuius nomine possidetur h. e. cuius nomine, alius in possessione est *l. 18. princ. ff. h. t. §. 5. Inst. de Interd.* Atq; ita possidere & in possessione esse opponuntur *d. §. 1. l. 10. §. 1. ff. h. t. l. 5. §. 1. ff. ad exhibend.*

LXXXI. Ex quo vel unico sufficienter eorum opinio convelli videtur, qui Cōductores, Commodatarios, & alios, qui alieno nomine in possessione sunt, *d. §. 5. & 6.* possidere ipsos contendunt. Nam, quia ij, quorum nomine hi in possessione sunt, possidēt, consequens est, ipsos non possidere id, quod per eos alij possident: cū duos e-
iusdem rei in solidum possessores esse & naturæ, & juris arti repu-
gnet *vid. infr. th. 145.*

LXXXII. Quod in illis quidem minus dubij habet, qui rem ad alterius tantummodò commodum tenent, & nudum alienæ possessioni præstant ministerium, ut Procuratores *l. 1. §. 20. l. 18. princ. ff. h. t. l. 13. §. 12. ff. de hered. petit.* Tutores & Curatores *d. l. 1. §. 20.* Depositarij *l. 3. §. 20. ff. h. t. l. 9. ff. de R. V. l. 17. §. 1. ff. de pos. junct. l. 5. §. 2. vers. nam quia ff. commod. l. 17. §. 2. in fin. ff. de præscript. verb.*

LXXXIII. De ijs verò qui æquè in suum, quàm alterius emolumentum rem tenent, major poterat esse dubitandi ratio. Tales Coloni sunt & Inquilini *d. l. 5. §. 2. vers. sed ubi ff. commod.* Sed quod hi quoque non possideant, & textus docent in *l. 9. ff. de R. V. l. 6. §. 2. ff. de precar. l. 33. §. 1. ff. de usurp. l. 25. §. 1. ff. h. t.* Et evincit ratio *l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* eos nimirum Possessores non esse appellandos, qui ita tenent, ut ob hoc solitam debeant præstare mercedem.

LXXXIV. De Emphyteutâ autem & Vafallo quid statuendum? Sanè ex generali *d. l. 2.* sententiâ, nec ipsi pro veris Possessoribus adgnosendi essent: cū ut Conductor mercedem, ita Emphyteuta Canonem, Vafallus Hominium præstare teneatur. Atqui ijdem tamen in Jure constanter Possessores prædicantur, *passim tit. C. de fund. parimon. 2. Et. tit. 7. in fin. tit. 8. §. ult. tit. 22. 26. §. si facta & §. ult.* Videtur ergò cum Menochio in *remed. 1. recup. Poss. d. l. 2.* restringenda, & ab eâ excipiendi illi, qui Perpetuam possidendi sive incumbendi facultatem habent. Quo facto & ipsos pro Naturalibus Possessoribus habebimus *cum eod. Menoch. d. remed. 1. n. 90. & n. 76. Borholt. de acquir. vel am. Poss. c. 2. divis. 3. n. 13. Vultejo ad princ. Inst. de Interd. n. 12.*

8. De

77

LXXXV. Deniq; licet ij, qui alieno nomine in possessione sunt, rem ad suum duntaxat commodum teneant, adhuc tamen possidere negantur: ut Commodatarius l. 3 §. 20 ff. h. t. l. 9. ff. de R. V. l. 8. ff. commod. junct. l. 5. §. 2. vers. commodatum ff. eod. Usufructuarius §. 4. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. ubi Theophilus l. 5. §. 1. ff. ad exhib. l. 10. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. l. 6. §. 2. ff. de precar. l. 60 §. 1. ff. de usuf. l. 54. vers. sin autem Diacnissa C. de episc. & cler. Missus in possessionem in personali actione ex primo decreto l. 3 §. ult. l. 10. §. 1. ff. h. t. l. 15. §. 20. & seqq. ff. de damn. inf. l. 3. §. 8 ff. uti possid. Is qui rem precario accepit simpliciter, non eâ intentione, ut possideat l. 6. §. 2. ff. de precar. l. 10. §. 1. ff. h. t.

LXXXVI. Præterea, potest quis etiam pro parte ipse possidere, pro parte alterius nomine in possessione esse: ut, si communis servus à dominorum uno omnium nomine possidetur l. 42. princ. ff. h. t. Aut aliàs res communis ab uno sociorum corporaliter detinetur arg. l. 51. princ. ff. pro soc. junct. l. 1. §. 1. ff. eod.

LXXXVII. Quod si ergò ij non possideant, qui alieno nomine in possessione sunt, multò minus ob eundè voluntatis defectû possidebunt, qui jure tantùm familiaritatis fundum ingrediuntur: cùm aliud sit, corpore in fûdo esse: longè aliud, fundû possidere l. 41 ff. h. t.

LXXXVIII. Atq; hinc est, quod protinus etiam possidere desinat Verus Possessor, quamprimum se possidere amplius nolle constituerit, corpore licet in re possessa adhuc consistens l. 3. §. 6. l. 17. §. 1. ff. h. t. Nam quia Animus ministerio duntaxat corporis ad Possessionem utitur, fit, ut ubi Animus Possidendi non est, ibi corpus nullum præstare possit Possessionis ministerium. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. ult. th. 684. Donell. 5. comment. c. 13.

LXXXIX. Verum enim verò, quia talis Possidendi Animus insensus non incurrit, vulgò hic Interpretes in indicia inquireunt, ex quibus colligi ille, aut probari possit. Et declaratur Animus Possidendi vel Verbis, vel Factis. Verbis rursus dupliciter. Vel enim hæc nudam assertionem continent, & ipsum possidendi actum antecedunt, aut comitantur: putâ, si quis fundum vacuum ingrediens præsentibus & audientibus alijs dicat, se eo animo ingredi, ut possessionem acquirat Borcholt. de acqu. Vel am. Poss. c. 3. n. 15. Dn. Obrecht d. tract. de Possess. c. 7 th. 319. Quo calu nemo exillimandus est dixisse, quod non mente agitaverit l. 7. §. ult. ff. de supell. leg.

C 2

90. Vel

159
174
20
50
2
1
4



XC. vel Jurejurando firmantur, & Possessionis adipiscendæ actum etiam sequuntur: ut, si quis jurat, se eâ mente fundum ingressum esse, ut eum possideat. Nam, quæ in Animo consistunt, per juramentum plenè probantur. *Predicti dd. loc. Et juramentum habet vim casus expressi Wesenbec. in parat. ff. de jurejur. n. 13.*

XC I. Ex factis deinde Possidendi Animus probatur: qualia sunt, si fundum ingressus, eundem postea arando ac seminando coluit: fructus percepit: locavit, & similes juris possessorij actus adhibuit. *Gloss. in l. 3. C. fin. regund. Wesenbec. in parat. ff. h. t. n. 6. Borcholt. d. c. 3. n. 15. Gothofr. in l. 48. ff. de solut. in verb. reditus exegit. Dn. Obrecht. d. c. 7. th. 370. P. Frider. de caus. & mater. Poss. c. ult. n. 2. & seqq.*

XCII. Sic & eum Possidendi Animum habere præsumitur, qui, cum prius justum possidendæ rei titulum nactus esset, postmodum in rei illius deprehenditur possessione *arg. l. 2. C. h. t. Gloss. in l. quadam mulier 77. in verb. sufficiebat. ff. de R. V. Wesenbec. d. n. 6.*

XCIII. Expedivimus hætenus primum nanciscendæ Possessionis modum generalem: jam de altero videbimus: qui est, quando Animo quidem veri Possessoris, Corpore autem alterius Possessio quæritur. Ubi illius etiam Animus ita comparatus esse debet, ut nec facultate, nec voluntate possidendi destituatur. Nam regula juris ait, eis demum Possessionem per alios acquiri posse, qui sibi ipsis possunt acquirere. *l. 3. C. h. t. fac. l. 8. §. 1. ff. de usurpat.*

CXIV. Quocircâ Possessio aliorum Corpore nulli acquiritur, cujus intellectus non datur, vel jure nullus esse intelligitur. Atq; ita ne Furiosus quidem per Curatorem hoc modo possidere incipit *arg. l. 1. §. 3. ff. h. t. l. 4. §. 2. & 3 ff. de usurpat. l. 5. 40. ff. de R. I. Nec Captus ab Hostibus per subjectas sibi personas. l. 11. 44. §. ult. ff. de usurp. l. 12. §. 2. ff. de capt. & postl. revers. Nec Hereditas jacens: imò ne ex causâ peculiari etiam, nisi jure singulari contrarium esset introductum. l. 45. §. 1. ff. de usurp. l. 44. §. 3. ff. eod. De Infante quid statuamus *vid. inf. th. 118.**

XC V. Illud equidem tum ratione utilitatis, quam Jurisprudentiâ receptum est, ut, quamvis is, qui rem ignorat, ejus possessionem per se acquirere non possit, *dict. sup. th. 78.* possit tamen quandoq; illâ
per

per alios acquirere l. 1. C. h. t. l. 34. §. 1. ff. h. t. §. 5. Inst. per quas per cuiq; acqu.
Verum & hoc ipsum non singulari aliqua ratione caret, quæ exponetur
infr. th. 125. Et regulariter non procedit. Nam si sua sponte
quis alicujus negotium gerat, prius illi Possessionem non acquirit,
quam si ratum habuerit negotium l. 42. §. 1. ff. h. t. l. 24. ff. de ne-
got. gest.

XCVI. Multò verò minus prorsus Nolenti acquiritur Possessio
per alium l. 53. ff. de acquir. rer. dom. ne per Servum quidem extra cau-
sam peculij arg. l. 1. §. 5. l. 3 § 12. l. 44. §. 1 ff. h. t. l. 44. §. ult. ff. de Usurpat. Do-
nell. § comment. c. 8. Clariss. Dn. Precept. Val. Wilhelm. Forsterus in Ju-
stin. tract. disp. 11. th. 8.

XCVII. Eum quod attinet, per quem alteri Possessio acquiritur
nihil interest, cujuscunq; sit conditionis, sive in potestate hujus,
cui acquirere vult, sive extra eam l. 1. C. per quas pers. nobis acquir. sive
liber homo: ut hospes, amicus, procurator l. 9. ff. h. t. §. pen. Inst. per
quas pers. cuiq; acquir. l. 20. §. ult. ff. de acquir. rer. dom. l. 11. §. pen. ff. de
pign. act. sive servus alienus à domino suo non possessus l. 34. §. ult.
ff. h. t. l. 31. §. 2. ff. de usurpat. sive majorennis sive impubes l. 32. princ.
ff. h. t.

XCIII. Nam quanquam aliàs nemo quicquam possit acquirere
per personam: quæ in potestate ipsius constituta non est vel quæ
bona fide ab eo non possideretur: Vel in quo usumfructum, aut si-
mile jus non habet: ab hoc tamen nominatim excipitur Possessio-
nis causa § pen. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. 1. C. eod. partim, quia in
ijs, quæ sunt facti, facilius admittitur alienum ministerium, quam
in ijs, quæ sunt juris. Hillig. in Donell. enucl. lib. 11. c. 7. lit. A. partim,
quia necessarius Possessionis usus hoc suavit, ut laxior utiliorque
sit commerciorum facultas. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 9.
thes. 352.

XC. X. Sunt tamen personæ quædam, per quas quemadmodum
non Dominium, ita nec Possessio acquiri potest. Sic alicui per e-
um, quem justo errore ductus, filium suum & in potestate sua esse
putavit, Possessio minimè quæritur. Non idem enim in hoc, quod
in homine libero, qui bona fide servit, placuit. l. 50. princ. ff. h. t. l. 44.
princ. ff. de usurp. Ita neq; Possessio acquiritur per eum, quem mala fi-
de quis possidet l. 1. §. 6 ff. h. t. junct. l. 22. ff. de acquir. rer. dom. l. 1. §. 1 C. de R. V.

C. Quin imò interdum Dominium quidem per aliquem alteri
acquiritur, non verò Possessio. Quicquid enim servus alienus,
vel bonâ vel malâ fide possessus, Possessori non acquirit, ejus
Dominium statim acquirit Domino §. 4. Inst. per quas pers. cuiq; ac-
quir. l. 10. §. pen. l. 45. §. ult. ff. de acqu. rer. dom. l. pen. l. 50. §. ult. ff. de pec. non
ramen Possessionem l. 1. §. 6. ff. h. t.

CI. Idem etiam statuunt quidam in rebus, quas Servus, ignoran-
te Domino, ex maleficio apprehendit, quasi, licet Possessio ea-
rum Domino non acquiratur. l. 24. ff. h. t. acquiratur nihilo minus
Dominium arg. text. general. in §. 1. Inst. de his qui sui vel al. jur. sunt l. 1. §.
1. ff. eod. §. 3. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. 1. C. eod. l. 10. §. 1. ff. de acqu. rer.
dom. Verùm contraria sententia videtur esse verior: tum quia in d. l.
24. simpliciter nihil dicitur ad peculium pertinere, quod ex male-
ficiis apprehenditur fac. l. 49. princ. ff. de pecul. tum quia ideo servus
Domino acquirit, quod eadē cum illo persona censeatur. prin. Inst.
de stipul. serv. §. 13. Inst. inutil. stip. At Dominus talia acquisivisse non
presumitur arg. l. 51. princ. ff. pro soc. tum etiam quia ex maleficiis per
servum ne quidem acquiri aliquid posse intelligitur l. 15. ff. de con-
dit. instit. vid. Glos. ad d. l. 24. in verb. non possides. Mynsing. ad §. 3. Inst. per
quas pers. cuiq; acquir. n. 6.

CI. Ut verò per alios Possessionis acquisitio procedat, etiam &
corporis & animi ministeriū aliquod in his aptum requiritur. Nam
si quis procuratorem jusserit, suo nomine possessionem apprehen-
dere; is autem desidia forsitan accipere illam neglexerit; prius acqui-
sita non erit, usq; dum sub manibus Procuratoris esse incipiat h. e.
usq; dū actu aliquo corporeo à Procuratore occupetur. l. ult. C. h. t.

CIII. Neq; verò in hoc præcisè Naturalis rei apprehensio deside-
ratur: Verū & Ascititia sufficit Dn. Obrecht. d. tr. de Poss. ii th. 411. Ex-
emplo l. 51. ff. h. t. ubi nihil interesse dicitur, ad rei, quæ corpore ap-
prehensa non est, Possessionem adipiscendam, ipse ne Dominus il-
lam custodiat, an ejus mandato alius. Potest igitur is quoq; , cujus
corpore Possessio acquiritur per Custodiam, quæ Ascititius modus
apprehensionis est, possessionem apprehendere.

CIV. Huc insignis etiam illa Possessionis per alium acquirendæ.
species pertinet, quam Constitutum Possessorium Dd. appellant.
Et est, quando prior Possessor ita alicui Possessionem tradit, ut ipse
con-

77
constituar illius nomine possidere. Nam sic Constituens suo quidem nomine possidere desinit: eo autem ipso, quod adhuc in Possessione manet, ministerio suo Possessionē alteri acquirit *l. 18 pr ff. h. t. CV.* Brevi enim manu hoc casu fingitur Constituens Constitutario (ut eum vocant) rem tradidisse, & mox ab eodem, ut iam ipsius nomine Possessionem servaret, recepisse: adeoq; ad Ascitios Apprehensionis modos hoc referendum est: quia non facta rei Traditio corporalis pro facta habetur, celeritate conjungendorum extremorum, occultato medio: *dict. supr. th. 64. Vid. Cujac. 19. observ. 18.*
CVI. Fit autem tale Constitutum, primò, vel apertis verbis: ut, si quis dicat: Fundum Sempronianum tibi dono, eumque ab hoc tempore tuo nomine possidere constituo: Vel tacitè, voluntate constituendi rebus & factis declarata. *Donell. 5. comment. c. 10. Dn. Obrecht. d. c. 11. th. 435.*

CVII. Ita ipso facto voluntas declaratur, si quis rem, cuius possessionem habet, ab altero conducatur *l. 77 ff. de R. V. fac. l. 19. princ. ff. h. t.* Si quis rei transferendæ usum fructum sibi recipiat *l. 28. 35. §. 5. C. de donat.* Aut si quacunq; ex causâ rem retineat, ex quâ illa non possideretur, sed tenetur tantum: quod accidit, quando eam penes se esse vult, tanquam ab altero sibi commodatam, aut apud se depositam *Cujac. 19. observ. 18. Dn. Obrecht. d. c. 11. th. 437.* Nam quoniam nec usus fructus, nec locatio, nec depositum rei suæ consistere potest *l. 5. princ. ff. si usus fr. pet. l. 45. princ. ff. de R. I.* Videtur constitvens hoc facto suo dominium, ac proinde & possessionem transferre voluisse.

CIX. Contingere tamen potest, quod quis rei suæ possessionem ita per constitutum in alterum transferat, ut dominium simul ab eo non transferatur: e. g. Dominus rei dejecto veteri possessore, cœpit possidere, & metuens ne illam restituere cogatur *l. 4 §. 26. ff. de usurpat.* eandem conducit: hac nimirum ratione & alterum rursum Possessorem efficit: & ipse dominium retinet, non proprietatis, sed possessionis duntaxat respectu conductione interposita *l. 28 ff. h. t.* Idem est, si debitor rem, quam pignori obligat, eodem actu à creditore conducatur *l. 31 §. 1. ff. de pign. act.*

CIX. In Precarij verò rogatione non nihil aliter se res habet: quandoquidem is, qui rem suam precariò ab altero rogat, per hoc, Rogatum quidem dominum & possessorem efficit *arg. l. 45. princ. ff. de R. I. l. 4 §. pen. ff. de precar.* Verum quia illicò per Precarij Possessio-

mem

159
177
180
S
i
i
i
i

nem translata ad se revocat *l. 6. princ. ff. pro empt. l. 21. princ. ff. h. t.* facit, ut alter Juris magis intellectu, pro Possessore habeatur, quam re ipsa fuerit *d. l. 21. princ. Phil. Mathæus ad l. 54 ff. de R. l. n. 13.* Interim dubitandum non est, quin hic instar cujuslibet rem precario concedentis, eam, utpote suam, repetere possit, quodcumque voluerit *per l. 2. §. 2. & pass. ff. de precar.*

CX. Sicut autem alias nemo errans rem suam amittit *l. 35 ff. de acquir. rer. dom. l. 8. §. 3. ff. de condict. caus. data l. 18. C. de R. V.* ita quoque, qui ignorans se possidere, eam rem aut conducit, aut precario rogat, &c. propter hoc nec dominio, nec possessione rei privatur *l. 28. ff. h. t.* Nam & hic Animus possessionem amittendi deficit *Donell. §. comment. c. 13. Dn. Obrecht. d. c. 11. th. 428.*

CXI. Deinde Constitutum Possessorium vel sit pure, vel in diem differtur, vel sub conditione suspenditur, *Dn. Obrecht. d. c. 11. th. 430.* Unde si Venditor, perfecto contractu constituit, se emptoris nomine possidere, non prius Constitutum subsistere intelligitur, quam emptor aut pretium solvit: aut alio modo Venditori satisfecit: aut ipsi Venditori fidem habuit: quia ex natura hujus contractus hæc tacita conditio subest, ut tunc demum, si horum aliquid factum fuerit, emptoris res fiat *§. 41 Inst. de R. D. l. 19 ff. de contrah. empt.* Interea igitur venditor rei suæ Possessionem adhuc retinet, ut qui ab eâ sub tali condicione recessit *l. 34. princ. ff. h. t.*

CXII. Verum quia, (ut *supr. th. 96. dictum,*) nolenti Possessio non acquiritur; idcirco, siue Constitutarius adsit, & in constitutum non contentiat; siue absit, ita ut de ejus voluntate constare non possit, Constituens in ipsum suo facto Possessionem transmittere nequit *arg. l. 10 ff. de donat. fac. l. 42 §. 1. ff. h. t.* Et hæc de ministerio Corporis horum, per quos alij Possessio acquiritur.

CXIII. Animus quoque eorundem ita comparatus esse debet, ut primo habeant intellectum possidendi *l. 1. §. 9 ff. h. t.* Neque enim, si quis servum furiosum miserit, ut possideat, apprehendisse possessionem videtur *d. l. 1. §. 10.* Neque si quis Infantem miserit, qui & ipse possidendi intellectu caret *Borcholt. de acquir. vel am. Poss. c. 4. n. 15. Dn. Obrecht. de tract. d. Possess. c. 12. th. 447.*

CXIV. Secundò, ut habeant voluntatem possidendi eis, qui illos in Possessionem miserunt. Non si vel sibi, vel alij possidere,
non

non hisce operam suam in acquirendo commodare volunt, non
his quoque Possessionem acquirunt *l. 1. § 20 ff. h. t.* Quod adeo verum
est, ut similiter obtineat in Servo & Filiofamilias, ejus, cui acqui-
rere debuit, potestati subiecto: *d. l. 1. § 19.*

CXV. Quid igitur? An si hoc casu Procurator suo nomine Pos-
sessionem acquirere vult, eandem sibi acquirat? Utiq; Aut enim
& is, qui tradit, ita tradit, ut rem faciat Procuratoris: atq; tunc et-
iam proprietatis respectu res Procuratoris efficitur. *l. 43 § 1. vers.*
quod si ita ff. de furt. l. 59. ff. de acquir. rer. dom. Aut ita tradit, ut fiat Do-
mini: & tunc proprietatem quidem rei Procurator non acquirat
l. 13. ff. de donat. l. 13. 37 § ult. ff. de acquir. rer. dom. fac. l. 55. ff. de obl. &
act. Quando tamen intercipiendi animo eam contrectat, ejus fur-
tum facit *d. l. 43. § 1. ff. de furt.* & per consequens etiam Possessio-
nem adipiscitur *arg. l. 1. § 15. ff. si is qui testam. lib. esse ius. erit. fac. l. 3. §*
18. l. 47 ff. h. t.

CXVI. Illud verò in personis, suo corpore alijs Possessionem
comparantibus non exigitur, ut in re, quæ per eos acquirenda est,
non errent, pro aliâ, quam est revera, eam habendo: sed sufficit,
ipsius Principalis, & ejus, à quo rei Possessio proficiscitur, animum
certum esse *l. 34. § 1. ff. h. t.* Et hæc si Animo veri Possessoris, Corpore
autem alieno Possessio acquiratur.

CXVII. Diximus *supr. th. 48.* quandoq; etiam Corpore Pos-
sessoris, Animo verò alieno Possessionem acquiri: sed illud esse ir-
regulare, & non nisi in quorundam favorem specialiter introdu-
ctum. Nam Possessio nobis volentibus regulariter acquiratur *l. 53.*
ff. de acquir. rer. dom. At, ut nos velimus, non est in alijs, sed nobis
ipsis, seu animo nostro *Donell. 5. comment. c. 10. Phil. Matthæus ad l.*
118. ff. de R. I. n. 9.

CXVIII. Ejusmodi favore speciali donatus est Infans. Licet e-
nim ille plenum Animi affectum, æque atq; Furiosus non habeat:
nec, quid agatur, verè intelligat *§ 10. Inst. de inutil. stipul l 9 ff. de acquir.*
vel om. hered. l. 32 § ult ff. h. t. l. 3. C. h. t. attamen, utilitatis causa rece-
ptum est, ut ipse tenendi affectionem quamcunq; habens, rei sibi
tradite possessionem corpore quærat *d. l. 3. ejusq; judicium auctori-*
tate Tutoris suppleatur d. l. 32. § ult. Borcholt. de acquir. vel am. Poss. c.
3. n. 8. & 9. Donell. 5. comment. c. 11.

D

119. Et

17

12

159
177
170
Si
i
21
filie
17

CXIX. Et ita Infans Tutoris quidem Animo Possessionem acquirat Donell. *d. c. ii* non autem per Tutorem acquirat sed tutore auctore ipse acquirat *d. l. 32 §. ult.* quia per Tutorem acquiri dicitur, quod ab eo solo acquiratur, pupilli personam penitus remotam *arg. l. 1. §. 2. ff. de admin. & peric. tut. l. 18. §. 2. & ult. C. de jure delib. Cujac. 1. observ. 34. Phil. Matthæus ad l. 5. ff. de R. I. n. 9* Hic verò Pupilli Infantis persona non removetur: Verum cum eam potius Tutoris persona conjungitur, adeò, ut Infans factum corporale præstando, Tutor iudicium perfectum accommodando junctam operam ad Possessionem adipiscendam ambo conferant.

CXX. Hinc nempe evidenter apparet, quare in Possessionis materia talis per Tutorem facta suppletio, facilius admittatur, quam in alijs juris articulis *arg. d. l. 1. §. 2. ff. de adm. & peric. tut. d. l. 18. §. 2. & ult. C. de jure delib.* siquidem hic factum corporale se offert: cujus, cum etiam Infans sit capax, ita fit, ut suppleri tantò magis infirma ejus affectio possit: in cæteris autem nihil, quod perinde in Infantem cadat, & suppletioni locum faciat, reperitur. *Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 10. th. 374.*

CXXI. Quoniam verò, quando adhuc per ætatem Infans, nec qualemcunq; etiam tenendi affectionem habere potest (forte duobus aut tribus annis vix completis) dici nequeat *ex d. l. 32. §. d. ult. ff. h. t. Infantis iudicium, aut affectum animi non plenum suppleri Tutoris auctoritate: quippe qui planè nullus est, nec quoque Tutor auctore huic Infanti Possessionem acquiri posse, consequitur.*

CXXII. Ne tamen insigni Possessionum utilitate ille penitus carere cogatur; placuit, ut per Tutorem h. e. & corpore & animo Tutoris ipsis acquiri Possessio queat *l. 1. §. 20. ff. h. t. l. 3. C. eod. l. 11. §. pen. ff. de pign. act.* maximè cum & alias Tutor, quantum ad providentiam pupillarem, & commoda hujus promovenda attinet, Domini loco habeatur *l. 27. ff. de admin. & peric. tut. l. 56. §. pen. ff. de furt. l. 11. §. 7. ff. quod vi aut clam l. 7. §. 3. ff. pro empt. l. 157. princ. ff. de R. I.*

CXXIII. Eodem modo per Curatorem solum cum Adultis, tum Furiosis quoq; acquiratur Possessio *l. 1. §. 20. ff. h. t. Donell. 5. comment. c. 9. Gothofr. ad l. 1. §. 3. ff. h. t.* Nam & ille Domini loco habeatur *d. l. 56. §. pen. d. l. 11. §. 7. d. l. 157. princ.* & quantum potest, eorum, quos sub curâ habet, commoda, augere tenetur *l. 28. §. 1. ff. de pact. l. 22. C. eod. Licet in*

77
eo Tutor Furiosi à Tutore distet, quod ex illius consensu Furio-
sus ipse Possessionem nancisci non possit: partim, quia rebus, non
personæ datur, ut hujus defectum supplere non possit *l. 20. ff. de rit. nupt. l. 8. C. de nupt.* partim, quia Furiosi nulla omninò est Voluntas si-
ve affectio, quæ supplementum quoddam recipiat *l. 5. §. 40. ff. de R. I.*
CXXIV. Tertiò & Animo & Corpore alieno tum quoq; acquisi-
tio perficitur, cum per Servos & Filios familias, ignorantibus re-
rum peculiarium acquiritur Possessio *l. 1. §. 5. l. 3. §. 12. l. 4. 24. 44. §. 1. ff. h. t. l. 31. §. 3. l. 44. §. ult. ff. de usurpat. & in ipsa singularum rerum acqui-
sitione non Domini, aut Patris (quæ hoc casu nulla est) sed ac-
quirentium mens & affectio possidendi inspicitur l. 2. §. 12. ff. pro empt.*
CXXV. Ratio hujus Juris singularis exponitur in *d. l. 1. §. 5. h. t.*
quia sc. qui servo aut filio peculium habere permittit, eo est ani-
mo, ut quicquid ex causâ peculiari ille deinceps apprehenderit, id
omne sibi acquiri, & ex suâ voluntate possideri velit: etiam si in
ipsâ cujusq; rei acquisitione novum animi sui indicium non pro-
diderit. Esset enim admodum molestum, & vel eo nomine ex sin-
gulari aliquâ æquitatis ratione temperandû, si domini aliter Posses-
sionem rerum peculiarium acquirere nõ possent, quam fortè per sin-
gula momenta, species & causas peculiarium inspiciendo *l. 44. §. 1. ff. h. t.*
CXXVI. Et hæc quidem prima fuit ratio, quod ex re peculiari in-
gnorantibus Possessionis acquisitio permessa fuerit. Hoc simul atq;
ita receptum erat, postmodum factum est, ut non attenda amplius
illâ ratione, omnes omninò ex causis peculiaribus ignorantes pos-
sidere cæperint, qui modò sub suâ potestate aliquos peculiarij admini-
stratione donatos habebant, licet talis ipsorum Voluntas, de qua
modò dictû, non daretur. Ita namq; ex causa peculiari Possessionem
acquirere legimus etiam Infantem & Furiosum in *l. 1. §. 5. l. 32. §. ult. ff. h. t.*
CXXVII. Caterum neq; non hujus ratio aliqua dari potest. Nã,
quamvis verum sit, ob Voluntatis defectum Infantem & Furio-
sum constituere peculium non posse: si tamen vel Pater pupilli
Infantis, aut Furiosi servo peculium habere permisit: Vel Furiosus
ipse ante furorem peculium constituit, illud semel rectè constitu-
tum propter Domini furorem aut Infantiam, rursus non extingui-
tur: cum opus non sit, concedi semper à Domino peculium: sed
non adimi saltem sufficiat *l. 3. §. 3. & 4. l. 7. §. 1. ff. de pecul. fac. §. 1. Inst. quib.
non est permis. fac. test.*



CXXIX. Ita autem per Filium familiās (nam in Servo secus est arg. l. 1. §. 6. ff. h. t. Gloss. ad l. 4. ff. h. t. Cujac. 25. observ. 5.) Patri ignorantī olim Possessio acquirebatur, ut, quicquid ille peculiari nomine apprehendisset, id statim Pater possidere intelligeretur: & si filium illum in suā potestate esse ignoraret: imò et si ille ab alio, tanquam servus possideretur l. 4. ff. h. t. Excepto unico peculio Castrensi vel quasi Castrensi: in quo olim quoq; nihil Pater juris habebat §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. tot. tit. ff. & C. de castr. pecul. adeoq; nec Possessionem l. 17. §. 2. ff. ad municip.

CXXIX. Hodie ex Constitutione Justinianæa hoc ad earum rerum Possessionem duntaxat restrictum est, quæ ex re & substantiâ Patris à Filijs familiarum acquiruntur. Cæterarum enim rerum, quæ ex liberalitate fortunæ, aut labore proprio ad hos perveniunt, quia non dominium, sed ususfructus tantum Patribus debetur §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. 6. princ. C. de bonis quæ liber. utique neque Possessio ad eos pertinet; cum Usufructuarij non possideant dict. supr. th. 85.

CXXX. Multò minùs Possessionem Parentibus Filijs familiarum acquirunt, si quid ex quocunq; contractu vel titulo contra Parentum voluntatem quæ siverunt: quandoquidem in ijs plenum etiam dominium liberi consequuntur l. 8. princ. vers. sive è contrario. §. 5. vers. filijs autem familias C. de bonis quæ liber. Idem dicendum in cæteris casibus, quibus res pleno jure liberis parentum potestati subiectis, defertur Vid. auth. excipitur & 2. seqq. C. d. t.

CXXXI. Quartum exemplum Acquisitionis, quæ & corpore & animo alieno contingit, est, cum per Procuratorem Ignoranti Possessio acquiritur. Nam & illud utilitatis causa receptum legitur in l. 34. §. 1. l. 42. §. 1. l. 49. §. ult. ff. h. t. l. 1. §. 8. C. h. t. l. 47. ff. de usurp. fac. l. 13. §. 1. l. 20. §. ult. ff. de acquir. rer. dom.

CXXXII. Et est quidem haud dubiè ideo receptum, quia, utcumque in ipso acquisitionis actu Dominus nullam Possessionis acquirendæ affectionem habeat: & quid agatur, ignoret: ab initio tamen, dum ex suo mandato Procuratorem acquirere voluit, futuræ Possessionis animum & voluntatem accommodavit: quæ ex juris benignitate æque sufficere statuitur, atq; si in ipsarum rerum acquisitione eam modo legitimo interposuisset. Borcholt. de acquir. vell. am.

am. Poss. c. 4. n. 30. Donell. s. comment. c. 2. Phil. Matthæus ad l. 118.
ff. de R. I. n. 11.

CXXXIII. Unde cum ijs neutiquam consentimus, qui Procuratorem Specialem tantum, non Generalem Domino ignorantibus Possessionem acquirere posse arbitrantur: quia Dominus, constituendo etiam Generalem Procuratorem, ejus mentis fuisse censetur, ut, quicquid iste gerendo quodcumque; acquiratur sit, sibi acquiratur vellet. Donell. d. c. 8. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 10. th. 401.

CXXXIV. Ex eadem quoque; ratione inductum est, ut Erranti per Procuratorem Possessio acquiri possit. Hinc, si Domino quispiam fundum Cornelianum donasset, quem ipse putavit esse Sempronianum, & fundi sibi donati Possessionem voluit Procuratorem acquirere: Procurator verò, non ignorans, fundum Cornelianum esse donatum, eum apprehendat; Dominum & Animo & Corpore suo Possessorem facit l. 34. §. 1. ff. h. t. Et haec tenentur de modis, quibus Possessio alicui acquiritur.

CXXXV. Porro, quoniam non indistinctè quælibet rerum genera Possessionem recipiant, necesse est, ut de Materia quoque; ad accipiendam Possessionis formam apta aliquid proponamus, Primum itaque; res, quam possidere volumus, debet esse corporalis l. 3. princ. ff. h. t. l. 4. §. 27. ff. de usurpat. l. 32. §. 1. ff. de serv. præd. urb. Nam, quia Incorporalia tangi non possunt §. 1. Inst. de reb. corpor. l. 1. §. 1. ff. de D. R. non etiam possunt teneri, ac proinde nec per naturam possideri, arg. l. 1. princ. l. 3. §. 1. l. 8. ff. h. t. l. 153. ff. de R. I.

CXXXVI. Illud quidem negari non potest, aliquoties in Jure etiam rebus Incorporalibus Possessionem tribui, ut l. 913. §. ult. l. 16. §. ult. l. 34. §. 1. l. 3. ff. de hered. pet. l. ult. in fin. ff. si pars hered. pet. l. 3. ff. si usufr. pet. l. 14. princ. ff. de servit. l. 2. ff. comm. præd. l. 6. §. 1. ff. si serv. vind. l. 14. ff. de probat. l. ult. ff. de iin. actus, princ. §. 2. Inst. de action. l. 12. in fin. C. de excus. mun. item, eam in Possessionem corporis, & possessionem juris dividi l. 10. C. h. t. l. 2. §. ult. ff. de precar. Cæterum hanc ipsam non veram, sed analogicam quandam Possessionis speciem esse, evincunt alia LL. quæ huic Possessionis improprietatis notam apponunt, & idem in locis cæteris, Possessionem ejusmodi simpliciter approbantibus, tacendum demonstrant. Vid. l. 23. §. 2. ff. ex quib. caus. major. l. 10. princ. ff. si serv.

159
177
20
50
2
1
1

serv. vind. l. 20. princ. ff. de serv. præd. urb. l. 5. §. pen. ff. de itin. act. priv. fac. l. ult. ff. de servit.

CXXXVII. Secundò res, quam possidere volumus, pro eà à nobis haberi debet quæ in hominum sit commercio. Eximuntur autem quædam commercio ab ipsa natura: ut fundus à mari vel flumine occupatus: Hunc enim possideri posse, cum per se est evidentissimùm: tùm inde confirmari posset, quod etiam priori Possessori, si in eum statum devenerit, eripatur, non possessionis modò respectu *l. 3. §. 17. l. 30. §. 3. ff. h. t. l. 12. §. ult. ff. de reb. auct. judic. poss. l. 1. et etiam proprietatis l. 23. ff. quib. mod. usufr. vel usu amit.*

CXXXVIII. Quædam commercio hominum eximuntur Juris dispositione: cujus modi sunt res sacræ, religiosæ, publicæ, liber homo *§. 6. et 7. Inst. de R. D. l. 1. princ. ff. eod. §. 2. Inst. de inutil. stipul. l. 1. §. 9. ff. de obl. et act.* Atq; hæc quoq; ab eo, qui conditionem earum cognitam habuit, possideri non possunt *l. 30. §. 1. et 4. ff. h. t. fac. §. ult. Inst. de empt. et vend. l. 6. princ. ff. de contrah. empt.*

CXXXIX. Ab eo verò, qui justo errore deceptus in commercio illas esse putavit, possideri possunt: id quod de Libero homine multi textus docent *§. 4. Inst. per quas pers. cuiq; acq. §. 1. Inst. per quas pers. nob. obl. acqu. §. 1. Inst. de Vfus. l. 1. §. 6. ff. h. t. l. 10. princ. et §. 4. l. 54. §. ult. ff. de acqu. rer. dom. l. 33. princ. ff. de stipul. serv.* De rebus sacris, religiosis, publicis idem probant *d. §. 1. Inst. de Vfus. l. 26. §. 4. C. de episcop. aud.* Et certè quia in *d. §. 1.* quæritur, an res sacræ & religiosa usucapiantur, necesse est talè earum Possessionem præsupponi, quam usucapio, sequeretur, nisi singulari modo, quavis verè possessæ ab usucapione abhorrent.

CXL. In publicis quoq; rebus hæc distinctio servatur, quòd cum earum aliæ in usu publico, aliæ in patrimonio populi sint *l. 6. princ. ff. de contrah. empt. l. 2. §. 4. et 5. ff. ne quid in loco publ. illæ quidem eo, quo diximus, modò à Possessionis materià excludantur: hæc Verò non secus, quàm res privatæ aliæ tàm per servos, quàm liberos homines possideri possunt arg. l. 1. §. ult. l. 2. ff. h. t. l. 9. §. ult. l. 10. ff. de Publ. in rem act. l. 7. §. 3. ff. ad exhibend.*

CXLI. Tertio res, sive pars rei, quam possidere volumus, debet esse certa *l. 3. §. 2. l. 26. ff. h. t. l. 32. §. ult. ff. de usurpat.* Quæ enim incerta sunt nec corpore apprehendi possunt: quia per naturam non, nisi res certa traditur & accipitur; nec Animo; quia quod est non finitum,

tum, & ignoratur sit nec ne, quid sit aut quale quantumq; sit. animo complecti nequit *fac. d. l. 26. ff. h. t. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 2. th. 79.*

CXLII. Oritur autem hæc incertitudo, non ex ipsâ rerum Naturâ. Sed ex Animo sive ignorantia possidere Volentium *Donell. 5. comment. c. 8.* Dum vel soli volunt possidere, & quæ res sit, quam possidere Volunt, aut ipsi ignorant, *ut in d. l. 3. §. 2. aut. ignorat etiam is, à quo Possessionem debuissent accipere, ut in d. l. 26. Vel volunt possidere cum aliis & quota possessionis pars ipsorum sit, exploratum non habent, ut in d. l. 32. §. ult. ff. de usurp.*

CXLIII. Nec refert tamen, an certi rei pars possideatur pro diviso, an pro in diviso *l. 26. 43. pri. ff. h. t. l. 4. §. 1. ff. pro empt.* Quia etsi pars, quæ pro in diviso possidetur, corpore sit incerta, & cerni vel demonstrari non possit *d. l. 43. princ.* est tamen certa intellectu: dum scitur, quota pars ad aliquem pertineat, tertia, quarta, & c. *Borch. de acquir. vel am. Poss. c. 5. n. 6. & 12.* Imo & corpore quodam modo apprehendi potest. Quonia enim in quibusvis, etiâ minimis fundi particulis, tertia vel quarta pars alicujus esse intelligitur, sit ut, quâlibet fundi particulam, eâ mente, quod totam suam partem possidere velit, ingressus, ita corpore acquirat, sicut quivis alius, qui parte rei apprehensâ, totam rem apprehendisse existimatur *per l. 3. §. 1. ff. h. t. Dn. Obrecht. d. c. 2. th. 85.*

CXLIV. Quartò si res mobilis est, quam possidere volumus, debet ea per se in custodiam nostram venire, non alii rei, tanquam pars, accedere: singulæ enim res, ex quibus ædificium, navis, & c. constant, ut tabulæ, regulæ, columnæ, non possidentur. *dict. supr. th. 40. Borcholt. d. c. 5. n. 18. & seqq. Donell. 5. comment. c. 9.*

CXLV. Quintò, res quam possidere volumus, debet esse vacua. Neq; enim fieri magis potest, ut duo eandem rem in solidum possideant, quam, ut tu stare aut sedere videaris in eo loco, in quo ego sto vel sedeo, *ait Ictus in l. 3. §. 5. ff. h. t. fac. l. 5. §. ult. ff. commod. leg. 19. princ. ff. de precar. c. licet. 9. vers. per quod patet exir. de probat.* Quod tamen de vera tantum Possessione est intelligendum. Alias enim duo ita possidere possunt, ut alter possideat verè e. g. Creditor *dict. supr. th. 34.* & Proprietarius: alter naturaliter sive abusive, ut Debitor, qui ad unicam Usucapionis causam intelligitur possidere

77

12

159
177
20
51
2
19
10
4



derel. l. 1. §. 15. l. 36. ff. h. t. l. 16. ff. de usurpat. & Usufructuarius, qui & ipse naturaliter possidere videtur l. 12. princ. ff. h. t. Borcholt. de acquir. vel am. Poss. c. 6. n. 27. & 29. & seqq.

CXLVI. Per Vacuam autem rem hic non ea solummodo intelligitur, quæ jam tempore, quo Possessor acquirere voluit, vacabat: de cujus speciebus *supr. th. 48.* sed in genere, quæcunq; in ipso acquisitionis actu vacare cœpit, & ab altero nec animo, nec corpore amplius possidetur, aut detinetur *Gloss. in l. 7. C. h. t. Menoch. remed. 13. recup. Poss. n. 4. P. Frider. de caus. & mater Possess. c. 7. n. 8.* qualis est quævis res nobis à Possessore, animum possidendi dimittente, tradita per l. 34. princ. ff. h. t. l. 18. pr. ff. de Vi & Vi arm. imò qualis etiam est res priori Possessori invito per Vim erepta *Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 8. th. 324.*

CXLVII. Quod si verò quis ingreditur in possessionem, quæ ab altero Absente animo retinetur, quamvis ingrediatur eâ mente, quod Dominum velit possessione suâ deicere: tamen Possessionem veram non adipiscitur: quia ea res non est vacua: sed animo adhuc ab alio possessa: cui etiam, utpote absenti Possessio illa adimi nequit. l. 3. §. 7. l. 25. §. 1. l. 46. ff. h. t. Secus tamen est in rebus mobilibus, quarum Possessione quis ignorans spoliari per furtum aut rapinam potest l. 47. ff. h. t.

CXLVIII. Insuper ne volente quidem veteri Possessore alius cum eo in solidum eandem rem possidere potest. Si enim ad veram & naturalem maximè rei Possessionem respicimus; refragatur dicta ratio in l. 3. §. 5. ff. h. t. Si ad Ascititiam & solo Animi ministerio suffultam, ea repræsentare debet veram illam & corpore & animo acquisitam. Artis enim fictio naturam imitatur §. 4. *Inst. de adopt.* Fingamus ergò, priorem Possessorem, cum Animo possidet, etiam corpore possidere, & omnes rei partes possidere: quod alteri quæso in re spatium relinquatur, ut videri posset, corpore possessionem apprehendere *Dn. Obrecht t. d. c. 8. th. 328.*

CXLIX. Quamvis autem duo eandem rem possidere nō possint: potest tamen ex duabus causis eandem rem unus possidere l. 3. §. 4. ff. h. t. l. 1. §. 1. ff. pro suo. Quod ad hoc prodesse norant *Dd.* ut ex una causa in iudicio de Possessione victus, non prohibeatur de eadem agere ex alia *Donell. 5. comment. c. 16. Dn. Obrecht. d. tract. de Possess. c. 13. th. 150. Modò*

CL. Modò non ipse sibi aliquam causam, aut possidendi titulum affingat. Nam si nemo causam Possessionis sibi mutare potest l. 3. §. 19. l. 19. §. 1. ff. h. t. l. 5. C. h. t. l. 33. §. 1. ff. de usurp. l. 2. §. 1. ff. pro hered. l. 1. §. ult. ff. pro donat. l. 6. §. pen. l. ult. princ. ff. de precar. neq; hic efficere poterit, ut prima causa, ex qua jam possidet, propter nudam suam opinionem, accedat altera: sed expectet, necesse est, donec extrinsecus ipsi ab alio nova possidendi causa præbeatur *juxta d. l. 5. C. h. t.*

CLI. Restat tandem, ut de Possessionis acquisitæ effectibus pauca adjiciamus. Quorum plurimi quidem ab Interpretibus passim inculcantur: Nobis verò de præcipuis duntaxat acturis ita dividendi esse videntur, ut alij omni Possessionis dicantur communes: alij Civili, quæ cum Animo Domini conjuncta est, proprij.

CLII. Primus effectus, omni Possessionis competens, est, quod Possessor rem possessam sibi habeat *dict. supr. th. 7. fac. l. 2. §. 28. ff. ne quid in loco publ.* Qui enim possidet, jus in re habere dicitur. P. Frider. de caus. & mater. Poss. c. 8. n. 1. licet non ut dominus, sed ut non dominus possideat: cum & dominus, & non dominus habere dicatur. l. 35. §. 9. ff. de V. O. l. 88. princ. ff. de V. S. l. 1. §. 5. ff. h. t.

CLIII. Secundus effectus est, quod Possidens in dubio præsumatur aut esse dominus *arg. l. 1. §. 1. ff. famil. erisc.* aut certè suæ Possessionis, diuturnæ præsertim, legitimam habere titulum cum bonâ fide conjunctum. Wesenb. in parat. ff. h. t. n. 7. Mynsing. ad §. retinenda. 4. Inst. de Interd. n. 12. P. Frider. de caus. & mater. Poss. c. 9. n. 13. 21. & 22. Unde traditur, quod lite pendente à Possessore in alium: (Sequestrem fortè) non facilè Possessio sit transferenda Gail. 1. observ. c. 5. n. ult. P. Frider. d. c. 9. n. 28. & 2. seqq. fac. l. un. ubi Gothofr. C. de prohib. sequestr. fac. l. 7. C. de jure fisci.

CLIV. Tertius est, quod Possidens, si justâ ex causâ metuat, sibi negotium ratione Possessionis suæ factum iri, possit implorare officium Judicis, ut ille provideat, ne aliquis ipsum in Possessione suâ turbet: sed legitimam in judicio sibi postulet præsidium P. Frider. d. c. 9. t. h. 32. Quorsum pertinent etiam mandata illa de non offendendo: quorum meminit Gail. 1. obs. 4. & lib. 1. de Pace pub. c. 2. & 3.

CLV. Quartus effectus est, quod Possidens in pari causâ ex eo solo, quod possidet potior habeatur, alio non possidente l. 2. ff. uti possid. l. 9. §. 4. ff. de Publ. in rem act. l. 14. ff. qui potior. in pign. l. 33. 126. §. ult. l.

F

128. princ.

128. princ. l. 15 & princ. ff. de R. I. c. in pari 65. de R. I. in 6. Hinc videmus & in
causis civilibus, cum petitor probare non potuit, rem suam esse,
pro Possessore pronunciari: quamvis nec ipse justam causam possi-
dendi habeat §. 4. Inst. de Interd. l. 2. 4. ff. de R. V. l. ult. C. eod. l. 2. C. de probat.
l. 4. C. de edendo. Et in delictis, cum unusq; & dantis & accipientis
turpitude versatur, potiore esse causam possidentis: neq; ab eo,
quod datum est, repeti posse l. 3. ff. de condict. ob turp. caus.

CLVI. Quintus effectus est jus resistendi propria auctoritate
cunctis, qui Possessionem impedimentum obijcere, aut eam privare a-
liquem conantur; adeo ut dejectus quoq; in continenti h. e. ipso
congressu eam de facto recuperare possit l. 1. §. 27. l. 3. ff. 9. ff. de Vi & Vi
arm. fac. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil. etiam si dominus sit, qui dejecit, aut de-
jicere voluit. P. Frider. d. c. 9. n. 16.

CLVII. Sextus effectus est usus Interdictorum, sive illa pro re-
tinenda Possessione comparata sunt l. 1. §. ult. l. 2. ff. uti possid. sive pro
recuperanda l. 1. §. 30. l. 12. 13. ff. de Vi & Vi arm. Unde Creditori etiam,
qui pignus possidet, Interdicta Possessoria dari, docet Gloss. ad l.
pen. §. 8. ff. uti possid. Cujac. 9. observ. 33. P. Frider. d. c. 9. n. 2. Et in eo Pos-
sessorum à nudis Detentoribus differunt, quibus Interdicta non
dantur l. 1. §. 10. l. ult. ff. de Vi & Vi arm. l. 3. §. 7. & 8. ff. uti possid. excepto
Usufructuario, in quo hæc ratio specialis militat, quod, quia om-
ne rei emolumentum ad eum pertinet, in plerisq; juris partibus
pro Domino habeatur Cujac. d. 9. obs. 33.

CLVIII. Ex ijs effectibus, quos sola Civilis Possessio producit,
est acquisitio Domini. Et ita rerum, quæ nullius sunt, alicujus au-
tem esse possunt, statim Domini efficiuntur, qui primò Possessio-
nem illarum sunt nacti l. 1. §. 1. ff. h. t. §. 12. Inst. R. D. l. 3. princ. l. 7. §. 3. l. 30. §.
ult. ff. de acquir. rer. dom. Rerum autem, quæ alterius sunt, & transfe-
rendi animo ex causâ ad translationem domini habili traduntur,
ita apprehensa possessione etiam domini ratione accipientium fi-
unt, si Tradens sit Dominus, aut vice Domini fungatur l. 20. princ. &
§. ult. ff. de acquir. rer. dom. l. 11. §. 2. ff. de act. empt. fac. l. 8. C. h. t.

CLIX. Si verò alius fuerit Tradens, dominium quidem non
transfertur in Possessorem novum arg. l. 54. 175. §. 1. l. 177. ff. de R. I. d. l.
20. princ. ff. de acquir. rer. dom. transfertur autem Usucapiendi conditio
§. pen. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. 74. ff. de contrab. empt. Quæ secun-
das

47
dus effectus peculiaris est Possessionis cum opinione Domini con-
juncta. Et de jure Civili sufficit ad hunc effectum consumman-
dum, vel ab initio ejusmodi opinionem habuisse, licet postea sci-
entia rei alienae superveniat l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. l. pen. ff. pro
empt. l. un. C. de usucap. transf. quia non ratio obtinendae possessionis,
sed origo nanciscendae inspicienda est. l. 6. princ. ff. h. t. Jure tamen
Canonico, quod in hoc puncto praevaluit, omni tempore bona fi-
des, & rei alienae ignorantia exigitur c. ult. ext. de praescript.

CLX. Tertius effectus huic Possessionis proprius est jus percipi-
endi fructus. Nam quo ad hos bonae fidei Possessor loco domini
penè est, & pro adhibitâ curâ & culturâ suos facit statim, atque à
solo fuerint separati §. 35. Inst. de R. D. l. 28. §. 1. ff. de usur. l. 48. princ. ff. de
acquir. rer. dom. l. 13. ff. quib. mod. usufr. vel usus amitt. l. 1. §. 3. ff. si ventris nom.
mulier. in possess. miss. l. 22. C. de R. V. l. 2. C. si quis ignor. rem minor. esse. Quod
tamen non, sicut de jure Usucapiendi dictum est, tamdiu subsi-
stet, quamdiu Possessio durat: Verùm simul atq; Possessor rem co-
gnoverit, esse alienam, finitur: quia fructus percipere ad factum
pertinet: & tot sunt acquisitiones, quot sunt fructuum perce-

priones l. 23. §. 1. l. 48. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. fac. l.


20 §. 11. ff. de hered. petit. Donell. 4. com.

ment. 6. 24.



154
44
170
50
i
ri
fue
nd

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its lightness and the age of the paper.





Wittenberg. Diss., 1613/23


V. 17

ULB Halle
002 673 304

3







B.I.G.

Farbkarte #13

juridica

1614

17

SSIONIS TIONE.

11

x. favente

152

berg. Academia

VIDIO

NI Kremberg,

entiati

blica discussioni

it

US VVOGESSER

Alfatus:

d diem 26. Augusti,

atutinis.

ERGÆ,

Anno M. DC. XII.